DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ASCITE ABDOMINALI.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
ASCITE ABDOMINALI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

NICOLAUS MIDDLETON,

HIBERNUS.

Quæ huic opusculo desunt, suppleat ætas.

QUINTIL.

CALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXX.

PATRUO

SUO CARISSIMO,

JACOBO MIDDLETON,

ARMIGERO,

HOC OPUSCULUM,

ANIMI BENEFICIORUM HAUD IMMEMORIS,

SIGNUM,

OFFERT

AUCTOR.

PATRI SUO

GULIELMO MIDDLETON,

ARMIGERO,

HASCE PAGINAS

CONSECRAT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ASCITE ABDOMINALI.

Auctore Nicolao Middleton.

HISTORIA MORBI.

Cullenus summus, in Nosologia ejus Methodica, Ascitæ duas species posuit; nempe, Abdominalem et Saccatam de illa solum hæc dicere volo.

Verbis quæ sequuntur, morbus recenseri potest: Abdominis intumescentia aquosa, tumore ambitu

æquali serpente, tensa, vix elastica, sed fluctuans est. Desiderium cibi imminutum, motus voluntarii hebetes, subinde febris lenis, respiratio plusve minus impedita, tussis, cutis sicca, sitis urgens, urina parca, alvus astricta, vultus luridus, morbum ineuntem præsignant. Deinceps, in regione hypogastrica, præcipue post motum etiam lentissimum, sensus gravitatis percipitur, et tactui, abdomen impulsum sensum, etiamque interdum sonum, collectæ permotæque intus aquæ præbet. His ingravescentibus morbus in pejus ruit, æger macer debilisque fit, functiones animales et organicæ torpescunt, respiratio crebrius difficiliusque fungitur, appetitus cibi fere deletur, pulsus parvus nonnunquam inæqualis est, pedes etiam œdemate manusque distenduntur, animus sensim deficit, demum Mors frigida mandatum ejus perficit. Ascites pubertate et senio præcipue dominatur ; attamen subinde exempla hujus mali juvenibus contingentia videas. Homines vitam inertem sine exercitatione idonea degentes, vel illos a quaviscunque causa debiles, et vinosos, sæpissime grassatur. In omnibus regionibus orbis terrarum videre licet, sed frequentius in iis ubi ca-

lor valet. In abdominis cavitate, plurimum humoris post mortem reperitur; et jecur sæpius, aut splenem, aut pancreas, duratum et mole adauctum, aut glandulas mesentericas auctas et præter solitum mutatas, conspicimus.

CAUSÆ.

Absorptio imminuta, vel in statu naturali manens, et halitus, in cavo abdominis necessario effusus, nimis auctus, morbum faciunt, vel Causæ Proximæ sunt. Omnia quæ debilitatem vel relaxationem inducant, corporis totius vel partis ejus, nimirum detractiones humorum immodicæ, et similia, corpus huic morbo opportunum reddunt, vel Causæ Prædisponentes fiunt. Omnia quæ motum sanguinis tardiorem et languidiorem efficiunt, nimirum, vitia cordis, et arteriarum, obstructiones viscerum abdominalium, ut durities jecinoris, affluxum sanguinis per venam portarum impediens, vel denique, respiratio impedita, qua minus facile per pulmones ad sinistrum cordis latus iter sanguinis conceditur, morbum incitant, vel Causæ

Excitantes nominantur, ut noster GREGORIUS, omnibus spectatus, testatur in verbis instantibus: "Par quoque ratio est, cur ab impedito aut languido sanguinis motu, hydrops sæpe oriatur, scilicet, aucto in venis renixu, sanguis ægrius ex arteriis in eas recipitur, et plus humoris tenuis in vasa exhalantia impellitur, et ex iis deponitur, haud adeo facile, per vasa resorbentia, hauriendum."

DIAGNOSIS.

AB omnibus aliis hic morbus facile dignoscitur, signis definitione et sub historia traditis; vel si confundi possit, attentione non satis adhibita, esset maxime his, Ascite saccato, Tympanitide, et Graviditate. Respectu prioris, CULLENUS, in Primis Lineis Medicinæ Practicæ, indicia monstravit, quibus facile est distinguere speciem de qua tractamus, ab hac, ad librum nuper dictum, lectorem meum mitto. Tympanites, morbus rarissime occurrens, ventre vehementer intento, sono crebro, quasi ex motu spiritus intus inclusi, ab ascite

discrepat. Graviditas, cessatione menstrui, vomitu matutino, areolæ papillarum colore austero, et præsertim sensu fœtus vivi in utero, percipitur. Sic nodus in omnibus casibus facile dissolvitur.

PROGNOSIS.

Prognosis dubia, et haud raro infausta, dicenda est: ægri ætati viribusque, atque morbi durationi, causis signisque, animum advertere oportet. Constitutio haud multum fracta, ætas nuper matura, urina parum minuta, vel, si plus humoris excernitur quam assumitur, abdominis extenuatio, sudor calidus per totum corpus, respiratio liberius evadens, spes secundæ valetudinis dant; dum, e contrario, ætas provecta, macies immanis, respiratio ægre perfecta, sensus suffocationis, pyrexia gravis cum comate, morbo inducto liquorum spirituosorum abusu, vel vitiis cordis, pulsus irregularis, vultus turgidus et dimissus, pedum manuumve aqua intercus, perquam male ominantur. Prognosin dubiam semper promulgare debemus, quia plerique hydropicorum moriuntur: medici est, ad ægri tempera-

mentum et vitæ genus quod degere solebat, sedulo respicere, namque, inter res hujusmodi et prognosin, nexus intercedit arctissimus.

RATIO MEDENDI.

In hoc morbo, curatio in tres partes naturaliter sese diducit.

Primo, Medicum oportebit causas aperire, et remotionem illarum tentare.

Secundo, Aquam collectam arcere.

Tertio, Necessarium erit, reversionem ejus, tutamine omnigeno ægrum munienti, prævenire.

De tribus consiliis agam, quam brevissime potero.

CAUSAS REMOTAS SUBMOVERE.

Satis sit nobis dicere, ex causis, cum ascites, de tumoribus venas intrinsecus, prementibus, vel

cordis vitiis, vel ossificatione aut aneurismate vasorum majorum prope cor, pendet, insanabilis est. Si ascites ex hepate duro et vitiato, vel de senectute et constitutione debili, priore intemperantia, quassata et fracta, sortes sunt adversæ. Si causa sit debilitas generalis, vita sedentaria et obstipatione comitata, remedia sunt præsentia et efficacia.

HUMOREM ELICERE.

Indicatio secunda, vel natura vel arte perficitur; ad rem perficiendam primum naturam pensare solemus: si morbus, supra vires ejus sit, ars ingreditur. Remedia, naturam in nixu ejus, usitatissima sunt, emetica, cathartica, diuretica, et sudorifica, sublevare.

Æmetica perraro utuntur, nam in valde debilibus actio eorum ægrum defatigat. Porro, cum morbus ex vitiis organorum originem duxit, vomitus vehemens summo periculo comitatur; commotione, enim quam facit, lacerentur vasa, et sic ægrotanti mortem præmaturam induceret.

Cathartica multum prosunt; alvi purgatio, plena et valida quam maxime, necessaria est; quippe, quod in intestina agentia, quæ tam magnis in corpore officiis funguntur; ita in hoc, sicut in omnibus aliis, quibus obnoxii sumus, morbis, quod fauste evaserint, sperare non licet, iis nimis adstrictis, idcirco medicum oportet ventrem omni biduo vel triduo ducere. Ad solutionem eorum, laxantia mitiora, ut supertartras potassæ, sulphas magnesiæ, tartras potassæ et sodæ, aqua multa vel alio quocunque liquata, exhibentur; sed nonnunquam ita torpent, ut illis non respondentia, ut plurimum per oleum ricini, convolvulum jalapæ, cucumeris colocynthidis pulpam, convolvulum scammonii, submuriatem hydrargyri, et similia, vel seipsis vel aliis conjuncta, defæcantur. Submurias hydrargyri large desumptus, sed citra fluxum salivæ, remedium apprime efficax reperitur; nam calomelas, præter potentiam suam alvum ducentis, necnon ad absorptionem humoris effusi incitandum, inservit,—rem sane haud parvi momenti, cum in morbo curando, tum in recursu ejus futuro præcavendo.

Diuretica maxime in usu communia sunt, acetis potassæ, scilla maritima, pulvis digitalis purpureæ cum submuriate hydragyri conjunctus, vel tinctura digitalis cum spiritu ætheris nitrosi mista, et sæpe admodum valent. In viribus digitalis fidem maximam repono, præcipue si alvus educta fuerit, subinde brevi respirationem et intumescentiam levat. Postremo, fricatio olei communis nonnihil valet, ut GREGORIUS in Conspectu ejus ostenderit.

Inter *Diaphoretica* lautissima, annumerantur, acetas vel citras ammoniæ, pulvis ipecacuanhæ compositus, oxidum antimonii cum phosphate calcis, et præ omnibus, medicamentum ex opio et submuriate hydrargyri compositum. Omnium exercitationum est finis sudor, idcirco ambulatio lenis utilissima fit. Exempla satis frequenter occurrunt, quibus profluvium urinæ moveri nequit, et quibus purgantia, ob vires fractas, periculosa sint; in his sudorifica etiam ad morbum curandum, interdum maxime valent. Si malo sit origo ab jecore duro, ab initio non parca manu, unguentum hy-

drargyri duplex, assidue infricatur, et simul infusum digitalis administratur. Hydrargyrum ita administrare convenit, ut gingivas teneras faciat, quæ pro tempore idoneo sic tenendæ sunt.

Certo scire utrum morbum superamus, ut CELSUS ait, "commodum erit, etiam lino quotidie ventrem metiri, et qua comprehendit alvum, notam imponere, posteroque die videre plenius sit corpus an extenuetur, id enim quod extenuatur medicinam sentit;" neque alienum est et potionem ægri et urinam metiri.

Si per talia auxilia venter non siccetur, sed humor nihilominus abundet, celeriori via educi. Ut is per ventrem ipsum emittatur, necesse erit paracentesin abdominis perficere, et postea medicamenta continuare, ut ejus incrementum iterum prohibeatur. Quibuscunque modis indicationem secundam nostram obtinemus, proxima cura erit, ut habitus corporis fiat firmior, sic consilium ultimo propositum complectur; cibi igitur, bonum nutrimentum, nec difficile concoctum, præbentes, sumendi sunt; pro po-

tu detur vinum in quantitate mediocri satis dilutum, vel cerevisia. Tonica omnia, præsertim præparationes ferri, sunt medicamenta quæ utilissima inveniuntur. Alvi purgatio, nunc etiam præstiterit: sedes liquidas ad minimum duas, vel naturaliter vel ope medicinæ dejectas, ægro quotidie conciliare debemus. Frictio extremitatum diu intenta et exercitatio levis, sunt auxilia bona, et ad quæ prudens erit ægrum exhortare, donec ex toto convalescat. Ubi aliquis convaluit causas omnes, cum prædisponentes tum excitantes, maxima cura et diligentia vitare debet.

FINIS.